



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CONSTAT ECCLESIA MECCLÉSIA PAROECIALIS**  
SANCTO IOANNI MARIAE VIANNEY DICATA,  
IN ARCHIDIOECESI BELLOHORIZONTINA SITA,  
AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Constat ecclesiam  
paroecialem, Sancto Ioanni Mariae Vianney dicatam et in archidioecesi Bellohorizontina sitam, quamvis non longa  
antiquitate clarescat, quin vero vix ante viginti sex ferme annos sit consecrata, ita tamen brevi auctam esse tantumque  
operibus et inceptis pastoralibus floruisse, ut magni momenti habeatur, quod ad religionem pertinet, et optimam spem  
praeluceat in posterum. Par est autem eiusmodi loca sacra quanto magis per aliquem tributum honorem innotescunt,  
tanto magis frequentatione procedere et attractiva crescere virtute. Hinc, Venerabilis Frater Ioannes Resende Costa,  
Archiepiscopus Bellohorizontinus, huius utilitatis gnarus, cleri et populi christiani preces et vota proponens, ab hac  
Apostolica Sede petivit ut ecclesia illa ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur. Nos autem, confisi ex concessione  
pietatem, fidem, morum integritatem fidelium ibi et in universa regione circumiecta degentium non parvos progressus  
esse facturas, consulta probantes Congregationis pro Cultu Divino, libenti animo postulationem accepimus. Quam ob  
rem ecclesiam paroecialem Sancto Ioanni Mariae Vianney dicatam, in finibus archidioecesis Bellohorizontinae positam,  
titulo et dignitate Basilicae Minoris insignimus, servatis iis, quae Decretum «De titulo Basilicae Minoris», die VI mensis  
lunii anno MCMLXVIII editum, servanda iubet. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo*  
*Piscatoris, die I mensis Februarii, anno MCMLXXXVI, Pontificatus Nostri octavo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a  
publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1986 - Libreria Editrice Vaticana

---